

*Capita duodecima reformationis proposita consideranda  
patribus 11 Martij*

1. Considerent patres quae ratio iniri possit ut patriarche, archiepiscopi episcopi, et ceteri omnes animarum curam habentes in suis ecclesijs resideant et ab eis non nisi justis honestis necessarijs et ecclesie catholice utilibus de causis absint.

2. Item an expediat ut nemo ordinetur ad sacros ordines nisi ad certum aliquem beneficij titulum compertum enim est multas committi falacias ex eo quod plerique ad titulum patrimonij ordinantur.

3. Et quod ordinantes nihil omnino recipiant pro collatione quorumcumque ordinum nec etiam eorum ministri aut notarij.

4. An eisdem concedendum sit ut de prebendis non servientium possint distributiones quotidianas constituere in illis ecclesijs in quibus aut nulle sunt distributiones aut ita tenues ut negligantur.

5. An parochie omnes que ob summam amplitudinem plures requirunt sacerdotes plures etiam habere debeant titulos ab ordinario instituendos.

6. Beneficia quoque curata que idonea provisione victus (*sic*) sacerdo-

talis carent, an sint reformanda ita ut ex pluribus titulis unus tantum ab ordinario constituatur.

7. Cum rectores parochiarum multi sint parum idonei qui vel ob imperitiam aut vite turpitudinem destruant potius quam edificent subjectum sibi gregem et deteriores aliquando habeant vicarios videndum est quomodo huic malo medendum foret num expediret eis dari coadjutor sive vicarius idoneus cum assignatione fructuum arbitrio ordinarij.

8. Ordinarijs an sit concedendum ut beneficia et capellas vetustate collapsas que ob paupertatem restaurari nequeunt (*1 v.*) in matrices ecclesias transferri possint.

9. An decernendum sit beneficia commendata etiam regularia visitari ab ordinarijs et corrigi.

10. Matrimonia clandestina an in futurum debeant declarari irrita esse et nulla.

11. Que conditiones sint declarande ad hoc ut matrimonium non dicatur clandestinum sed in facie ecclesie contractum.

12. Denique magnopere considerandum esset quid constituendum sit circa questorum non parvos abusus.

(B. R.)